



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

384. De sancto Josepho. De facili ad summam sanctitatem via.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

sine præmio relinquit, sicut nullum malum impunitum, cum furore & iudicio culpam & pœnam æquitate metiens, ut quantum quis in delicijs fuit, tantum recipiat tormenti, & quæ mali converterunt ad iniquitatum instrumentum, Deus convertit ad pœnæ cumulum. Corpore deliquerunt, corpore comburentur: Intellectum ad temporalia converterunt, intellectu & conscientiam accusabuntur, tempus in peccato consumpserunt, in æternum punientur. Adeoque efficit, ut iustitiæ suæ serviant ad pœnam, qui voluerunt subesse ad culpam, ex me igitur erit perditio mea. Cum ea sint dona Dei, quæ docent ingenitam regiam, imò divinam liberalitatem, ego verò pro ingenita mihi rusticitate, hæc aliter non suscipio, quam sicut decet vilissimum depravatores. Deprecabor Deum meum Eucharisticum, **J E S U M** carbonem ignitum, ut det gratiam gratitudinis pleniorum, præsertim, cum dignitas immaculati corporis ejus mereatur, ut præstantes ad gratiam redeant, etsi damnandi sint. uti dixit S. Gertrudi lib. 3. cap. 9.

MARTIVS.

MEDITATIO CCCLXXXIV.

De S. Josepho.

De facili ad summam sanctitatem via.

FE 4

Aspi-

Aspiciam D. Iosephum, omnis sanctitatis exemplar, & semitam compendiosam cæli. Petam ejus fieri discipulus.

Conf. 1. Perfecta justitia seu sanctitas est omni scelere libera perfectaque, & penitus inquinata munditia, ita D. Dionys. Areopagit. lib. de divin. nom. cap. 12. de S. Ioseph. est in historia oriental. apud Grat. lib. 3. Vitæ S. Ioseph. *Ioseph Pater meus* (inquit Christus Dominus) erat in extremo gradu justus: quia in omnibus actionibus suis quarebat solummodo honorem & gloriam Dei, unde patet D. Iosephum fuisse plenum sanctitate.

Conf. 2. Illam causalem, propter quam D. Iosephus fuit in extremo gradu justus, quia in omnibus actionibus suis, quarebat solummodo honorem & gloriam Dei. Quomodo eam quæsierit, revelavit Dominus S. Brig. lib. 6. cap. 59. Quod semper solitus sit dicere, *utinam vivam, & videam adimpletam voluntatem Dei.* Addit Dominus per B. Virginem loquens B. Brigittæ. *Totum desiderium ejus fuit obedire voluntati DEI: ideo nunc gloria ejus magna.*

Conf. 3. Hac via sanctam Gertrudem ascendisse ad ineffabilem sanctitatem, de qua Filius DEI initio vitæ ita loquitur: cum nemo hodie vivat, qui per puram intentionem, bonamque voluntatem, & veram fidelitatem,

mibi

nibi vicinior atque conjunctior sit, quam illa, ego quoque ad nullam animam in carne degentem majori favore inclinor, quam ad animam illius. Gratias agam Deo, quod in Religione mea hæc sit tessera: Omnia ad majorem Dei gloriam. An verò in omnibus solummodo gloriam Dei quæram, ex D. Bernard. conijciam ex 3. classe servorum Dei: Primus (inquit ille in Pl. 270.) Servus est, & timet sibi: Secundus, Mercenarius est, & cupidus sibi: Tertius Filius est, & defert Patri. Petam beneficio sacratissimæ Eucharistiæ ad hunc gradum admitti. Ut sicut per vitrum viride omnia viridia, sic per Christum D omnia nō tantum apparenter, sed deificatè faciam.

MEDITATIO CCCLXXXV.

De S. Ioachimo.

De fructu capiendo etiam ex malis.

Cons. 1. Quod S. Matthæus inter Magistros Christi meminerit vitiosarum, Thamar, Bersabeæ, Rahab Chananeæ, & Ruth gentilis: Causam dant SS. Ambr. & Hieron. Quia id requirebat veritas historiarum.

2. Quia Christus venit peccatores salvos facere.

Cons. 2. Causam dat S. Chrysostr. ut ostendatur vanitatem esse gloriari de majoribus, eorumque nobilitate: Quia vera nobilitas

FF 3 dependet